

Papistis Lyranus, Titelmannus, Ferus, Mercerus, Vatablus, Sa, Pineda, Tirinus &c. n)

Vel ipse Salomo, qui Pastor dici potest, quia singulari modo populum pavit doctrina & scientia, comprehensa libris ipsius. Ita sensus erit: licet hæ sententiæ sapientissimæ in hoc libro commemoratæ sint collectio per viros prudentes Ecclesiæ Israëliticæ præfectos, tamen omnes ab uno descenderunt autore, Rege nimirum Salomone. o)

Th. III. Uti nec Traditiones Dogmaticæ extra

Scripturam recipiende, c. Pap. & Judeos.

Non tantum Papistæ, sed etiam Judæi mordicis in hærent Traditionibus Seniorum, adeo, ut dicere consueverint: רברי סופרים חבובים מרברי תורה verba Scribarum sunt amabiliora, quam verba legis. Et ne deficiat eos probatio, abutuntur hisce Ecclesiastæ verbis, à quibus tritum hoc elicuerunt הזהר ברברי סופרים מרברי תורה i. e. admonitus esto de verbis scribarum magis, quam de verbis legis, vide Jalkut in fine. Ast

1. Nulla hîc occurrit oppositio, vel etiam comparatio inter Scripturas & placita Seniorum: sed inter verbum Seniorum doctè & prudenter perscriptum, & inter libros alios inutiles, quos imprudentes sine numero multiplicare solent.
2. Posito inter Scripturas & placita Seniorum oppositionem hîc institui, invertendum potius erit: cum hæ ipsæ sententiæ per viros prudentes Ecclesiæ Israëliticæ præfectos collectæ ab uno Pastore (sive Deo, sive Salomone) descendant, & Canonicam habeant autoritatem, cavendum potius à Traditionibus Seniorum, & à libris diversa docentibus; siquidem, ut mox additur, libros facientium nullus est finis. p)

SECTIO QUARTA.

U^{sus} & Abusus Dicti hujus in Loco de S. Scriptura est. Tractari potest Exordii loco ad Epistolam VI. Epiph. ex 2. Pet. I, 10. seqq. Consideretur Verborum Sapientum I. Quiditas. II. Qualitas. Sunt scil. 1. efficacissima. 2. Firmissime in hærentia. 3. Constringentia.

DICTUM CXC.

* Cant. I. vers. 3.

שֵׁמוֹת הַתֵּבִים שְׁמֵרָה עַל־כֵּן עֲלָמוֹת אֶחָבִיבָה :

n) Gei. o) Prückn. p) Hacksp.

Eee ee 2

SECTIO